Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 565
Quelle:
Copyright:

Temporalis vita eterne comparata mors est pocius &c. Porrigitur usque ad C. XXXVII. v. 12.

CXCI. VI. H. 25.

663 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. reipsa 13. 4. Exemplum enim partim duplex est, hunc Titulum praefert: *Gregorii de Animo seu Animi Immortalitate. Ad Tatianum. Liber singularis Græcolatinus. Claudio Ancanthero M. D. et sacræ Cæsareæ Maiestatis Historico interprete. Gregorius* hic *Neocaesariensis* in *Ponto* Episcopus perhibetur, Sec. III. clarus, et *Thaumaturgus* adpellatus, cujus Scripta *Fabricius* enumerat *Bibl. gr.* L. V. c. 1. nostrumque hunc primum editum graece ait a *Ger. Vossio* adjecta versione sua lat. *Moguntiae* 1604. cum aliis *Gregorii* Operibus 4. et iterum Versionem hanc lat. cum Claud. Mamerto a Casp. Barthio Cygneae 1655. 8. quae Editiones mihi adjacent. Aliam Versionem extare addit in *Bibl. PP. Paris.* 1589. T. 3. At certum est, Versionem hanc jam extare in edit. prima *Bibl. PP. Marg. de la Bigne. Paris.* 1576. T. VIII. *col.* 45. et etiam Versionem *Ancantheri* nostri jam Sec. XVI. lucem adspexisse. Quamvis enim Editionem nunquam oculis usurparim nec alicubi adnotatam repererim, ideoque nec de anno pronuntiare queam, ipsa tamen *Ancantheri* aetas, ut infra adparebit, et vel maxime *Codex* noster Typothetarum notis folia et paginas impressionis indicantibus signatus rem liquido evincit. Dicat porro Interpres noster laborem suum *Ill. D. Domino Ferdinando Hofman Lib. Baroni in Grüenpüchl et Strechavo, in Græuenstain; Supremo Hereditario Aulæ Magistro Duc. Styr. et Supremo Hereditario Marescballo Archiduc. Austriæ et Ducat. Styr. S^e. Cæs^e. Majest^is. Consiliario et Aulicæ Cameræ præfecto, erudita Praefatione, quae* incipit: *De Animi natura — ueterum multiplices distractæque sententiæ fuere* &c. Sententiis his ampla Veterum cognitione expositis ita pergit: *Hunc igitur de animi Immortalitate libellum — latine uerti et in tuo multo amplissimo et ornatissimo nomine, Præses Illustrissime, diuulgaui tum ut cognosceres, quanta ardeam cupiditate alicuius gratiæ apud te promerendæ, tum etiam tibi nuncupatum gauderes, quod e Perillustris et perhumani Viri Rudolphi Coraduccij aulici Consiliarij omni lectissimorum librorum genere referta Bibliotheca sit profectus.* Bibliothecam hanc a *Coraduccii* Imperii deinceps Vicecancellarii Heredibus emtam *Ferdinandus* II. Domui Professorum S. J. *Viennae* dedit, ut habes *Lambec.* L. I. p. 65. edit. *Kollar. col.* 136. *Seb. Tengnagelio* nostro eam, dum viveret, modis omnibus deposcente Bibliothecae Augustae, cujus vota saltem ab Ordinis extinctione impleta sunt. De ipso Libello sensum suum ita aperit *Ancantherus: Libellus Gregorij nomen praefert.*